



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Coloniensi Archiepiscopo.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

dictam malefactorum, laudem vero bonorum concessam tibi exerceas martialis gladij potestatem, Romanum autem Ecclesiam, qua post Deum promotionis tuae principium posuit, & in proximo dante Domino felicis manum consummationis apponet, tanto amplius veneris quanto exuberantem circa regiam beneficiorum ipsius teneris gratius acceptare; ut cum se regia serenitas exhibuerit gratiam, gratiam ex gratia mereatur. Ut autem celsitudini tuae pleniū pateat apostolicæ constantia firmitatis, & de ipsa non possis in posterum aliquatenus dubitare, quid nuper apud nos & à nobis sit gestum, qualiter responsum quorundam Principum nuntiis, serenitati tuae venerabilis frater noster Archiepiscopus Maguntinus & nuntiis tui pleniū intimabunt. Cum ergo nos à proposito nostro non possimus aliquatenus revo- cari, licet multa nobis & magna promissa fuissent, & speremus quod multi Principum, pos- quam per nuntios ipsos intentionis nostræ pu- ritatem agnoverint & intellexerint firmitatem, ab eodem Duce recedent & tibi fideliter adha- rebunt, serenitatem tuam monemus & exhorte- mur attentiū quatenus & tu constantiae virtutem assumas, nec te circumveniri ab eis aliquatenus patiaris: quia cum nos non potuerint ad suum consilium inclinari, te ac tuos aggredien- tur promissis, & quibuscumque modis poterunt circumvenire tentabunt. Vnde propensiore be- nignitatis affectu studeas retinere quos habes, & modis quibus poteris alios ad favorem & ob- sequium tuum trahas. Speramus enim in Domi- no quod Principibus qui sunt tecum in regia fidelitate solidè persistentibus, in proximo imperij monarchiam juxta nostrum & tuum desi- derium obtinebis. Nos autem præmissis iis om- nibus qua regali magnificientia debent pro honorificata Ecclesia Romana præmiti, ad coronam imperij te disponimus evocare. Tuum igitur erit procurare de cetero qualiter & quo tempore iis quæ diximus præmittenda præmis- sis ad apostolicam sedem, sicut oportet & expediat, coronandus accedas. Ceterum quām stu- diosè negotium tuum apud carissimum in Christo filium nostrum Philippum illustrem Regem Francorum promovere curemus, in proximo, dante Domino, desideratus declarabit affec- tus, de quo spem bonam concepimus ex litteris etiam quas Rex ipse nuper nostro apostola- tui destinavit. De tuorum autem successuum prosperitate, quam per regias nobis litteras inti- masti, gaudemus; utpote qui felices eventus tuos quasi proprios reputamus, & in exalta- tione tua Romanam Ecclesiam credimus exal- tari. Datum Laterani.

NOBILI VIRO DVCI BRABANTÆ,  
& uxori ejus.

Epist. 66.  
Vide supra  
epist. 23. &  
iust. epist. 111.  
113.

**I**N iis quæ fratres nostri apostolicæ sedis Legati statuunt, non auctoritate propria, sed nostra procedunt, à quibus vocantur in partem sollicitudinis & sue legationis accipiunt potestatem. Vnde tanto libertius institutis eo- rum robur apostolicæ confirmationis impendi- mus quanto magis ipsis in institutionis etiam actione non potestas propria, sed nostra potius

auctoritas suffragatur. Cum ergo venerabilis frater noster Prænestinus Episcopus apostolicæ sedis Legatus super matrimonio quod est inter carissimum in Christo filium nostrum illustrem Regem Ottensem in Romanorum Imperatorem electum & carissimam in Christo filiam nostram natam veltranum Domino disponente contrac- tum, de speciali mandato sedis apostolicæ dispen- satit proprie multam utilitatem que ex hoc imperio nolcitur proventura, nos dispensatio- nem ipsam ratam habentes, auctoritate apostoli- ca confirmamus &c. usque communimus. Nulli &c. Datum Laterani.

COLONIENSI ARCHIEPISCOPO.

**E**xpedi sepius persecutionis ollam succen- di, ut in fornace aurum & fides in persecu- tione probetur, & scoriam dividat ignis ab au- ro, & necessitas discernat à fidelibus infideles. Flagellis enim palea excutitur à frumento, quæ postmodum ab area per ventilabrum exflata triticum congregatur in horrea observandum. Sanè si non intervenisset necessitas, quæ adhuc pro parte nofcitur imminere, nec in taptum tua parsusser puritas, nec usque adeo tua fuisset probitas approbata. Passus est igitur Dominus te tentari, ut faceret in tentatione proventum, & constantiam tuam omnibus demonstraret. Ec- ce etenim jam appetit quām sis Ecclesia Ro- mana devotus, quām fidelis imperio, quām ze- lator honoris Coloniensis Ecclesiæ, cuius tueris potenter & viriliter libertatem, quām etiam in proposito tuo constans, cum quibusdam nu- tantibus dicaris inflexibilis & invariabilis per- mansisse. Siquidem tales decet esse columnas Ecclesiæ, tales pastores gregis dominici, qui non vacillent in partes, sed immobiles potius persistentes, innitentes sibi superiores sustineant & inferiores defendant, nec fugiant viso lupo, sed opponant sē potius ascendentibus ex adver- so. Licet autem tuæ devotionis constantiam & fideli puritatem experti ad honorem tuum in- tenderimus & profectum, redeunte tamen dilecto filio Aegidio Acolytho nostro tanto amplius sumus ad tuam dilectionem induiti quant- de sinceritate tua ipse nos reddidit certiores; quamvis eti ipse racteret, opera tamen tua per- hiberent testimonium veritati. Vt igitur hostiæ caudam immonus & talarem cum Ioseph tunicam induaris, ut perseveres in finem, ut quod laudabiliter incepisti laudabilius valeas consum- mare, fraternitatem tuam monemus & exhorta- mur attentiū & per apostolica tibi scripta mandamus quatenus carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo, quem ad regnum post Domi- num præcipue tu vocasti, fideliter & potenter assistas, & quoconque poteris ad devotionem ejus & fidelitatem inducas. Ecce enim citò da- bitur laboribus tuis finis, citò ei quem tu plan- talti & nos rigamus dabit Dominus incremen- tum, & in eo tam te quām Coloniensem Eccle- siam misericorditer & mirabiliter exaltabit. Per- sistas igitur in incepto, & alios ad perseveran- tiæ virtutem inducas; quoniam merebitur per- severantia veltra coronam, & nomen tibi com- parabit sempernatum. Tu ergo cum aliis tali-

YYyij

ter te accingas ut Regem ipsum nobis, ut decet, opportuno tempore repræsentes; quatenus præmissis iis qua solent & debent præmitti, nos eum in Romanum Imperatorem auctore Domino coronemus. Datum Laterani Nonis Aprilis.

## TREVIRENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 68.

**E**xpectavimus hactenus expectantes si forsitan, beneplacito nostro per venerabilem fratrem nostrum Prænestinum Episcopum apostolice sedis Legatum plenius intellecto, carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Regem electo, maximè quia nobis ex generali debito & speciali jura mento teneris, potenter & patenter adhærere jurates, & non sicut, sed sive potius præstares auxilium & favorem. Verum, sicuti accepimus, mandatum nostrum implere dissimulas, & oblitus proprij juramenti, quod juraveras exequi vel differs nimium, vel omnino postponis. Monemus igitur fraternitatem tuam & exhortamus attentius & per apostolica tibi scripta mandamus, & sub debito fidelitatis quo Ecclesia Romanæ teneris astriktus, & vinculo juramenti quod super hoc specialiter præstisti, districte præcipimus quatinus eidem Regi de cetero fideliter & constanter adhæreas & potenter & patenter assistas. Alioqui noveris nos eidem Legato per apostolica scripta mandasse ut te tamquam transgressorum proprij juramenti singulis diebus dominicis & festivis, pulsatis campanis, & candelis accensis, excommunicatum publicè nuntier, & mandet ab omnibus arctiis evitari. Hoc idem etiam venerabilibus fratribus nostris Coloniensi, Maguntino, Bisuntino, Remensi quoque, ac Senonensi Archiepiscopis districte præcipiendo mandamus. Quod si nec sic forsitan mandatum curaveris apostolicum adimplere, securum poteris arbor steriles non immerito formidare. Si vero elegeris potius obedire, te tamquam venerabilem fratrem nostrum & honorabile apostolica sedis membrum honorare curabimus & taliter studebimus confovere quod lèdere te non poterunt jacula que formidas. Datum Laterani vi. Idus Novembris, anno quinto.

IOHANNI REGI ANGLORVM  
illuftri.

Epist. 69.

**N**on debet alii debitum denegare qui ab aliis quod sibi debetur postulat exhiberi. Quotiens autem tua serenitati scripsierimus ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Ottoni in Romanorum Imperatorem electo nepoti tuo ea quæ inclita recordationis Richardus Rex Anglorum gernianus tuus ei legaverat exhiberes, tua serenitas non ignorat. Quantum autem profecerimus per litteras super hoc totiens replicatas, facti evidenter manifestat. Sanè si quid tuo expediret honori debita meditatione penates, non solum quæ ipsi ab alio sunt legata jamdudum ei sine diminutione qualibet solvere debuisse, sed efficax ei subsidium tam in personis quam rebus regaliter ministrare; cum credas, ut credimus, immo noris, ut novimus, aliquos contra eum, non in odium personæ, sed

sanguinis, graviter commoveri, non tam ipsum quām te in eo vel ipsum pro te lèdere cupientes. Monemus igitur serenitatem regiam & exhortamur attentius quatenus nuntiis Regis ejusdem legatum ipsum cum integritate perfolvas, & cūm nos ei jam publicè favorem apostolicum impendamus, tu quoque in ejus auxilium potenter ac regaliter accingaris. Alfoquin distinctionem quam venerabilis frater Cantuariensis Archiepiscopus propter hoc duxerit exercendam, ratam haberi volumnus, & præcipimus inviolabiliter observari. Datum Laterani v. Kal. Aprilis, anno quinto.

## SALSBVRGENSI ARCHIEPISCOPO.

Epist. 70.

**Q**uantam venerabilis frater noster Pataviensis Episcopus invenerit gratiam in oculis nostris, cūm in nostra esset præsentia constitutus, & quantum ei & Ecclesiæ suæ per auctoritatem sedis apostolicae commodi provenerit & honoris, à sua tam citò non debuerat memoria excidisse. Sed cūm eum inter alios Prælatos Ecclesiæ membrum firmissimum crederemus & ad exequenda mandata nostra promptum omnimodis invenire, dummodo ei constaret de nostra beneplacito voluntatis, de ipso in contrarium sentire compellimur & aliud quām creditimus cogitare. Poterat quidem satis sufficere quod ex quo sibi super imperij Romani negotio nostra innotuit intentio manifestè, non solum dispositioni nostre acquiescere non curavit, verum etiam modis omnibus in contrarium est enīs, sicut effectus operis manifestat. Sed ipse nobis mala pro bonis retribuens, non solum se voluntati nostræ opponere attenuavit; quin etiam longè antè quedam sinistra de nobis, super quibus per litteras suas, quas apud nos in testimonium facimus reservari, convinci poterit in nostra præsentia constitutus, scribere non expavit. Præterea cūm eidem Episcopo sèpe dederimus in mandatis ut carissimo in Christo filio nostro illustri Regi Vngarie duo millia marcarum, quas eidem restituere procuraret, quibus pro Hierosolymitano itinere peragendo idem Rex plurimum indigebat, ipse id non solum efficerem non procuravat, sed nec etiam super eo dignatus est nobis litteris vel nuntiis respondere, patenter ostendens se mandati apostolici contemptorem. Ad hæc, licet eidem fuerit ab apostolica sede præceptum ut pecuniam quam iniquè receperat pro redēptione inclitæ recordationis Richardi Regis Anglorum injustissimè capti de crucifixi servitio redeuntis, cuius captores, detentores, & fautores eorum Romana Ecclesia excommunicationis vinculo innodavit, restituere non differret, ipse tamen & animæ suæ salutem postponens, cui debuerat recepta taliter restituere per se ipsum, & apostolica mandata replicata sèpius parvipendens, pecuniam ipsam restituere non curavit. Obtenuit insuper litterarum falsarum, quas nullus sane mentis credere debuerat à nobis aliquatenus emanasse, prædictus Episcopus cum Frisingensi & Heistetensi Episcopis venerabilem fratrem nostrum Maguntium Archiepiscopum in favorem adversorum suorum ad suam præsentiam citare præ-